



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Nunqua[m] melius habent respublicae quàm sub Christianis principibus &
magistratibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

pestifera fiunt, quæ tamen per se salutaria sunt: sed sic punit deus scelera nostra. Idem de magistratu tyranni co intellige. SIMON. Quid si is iubet quod iniustum & iniquum est, parebo? Quid si tyrannus fuerit iniquus & impius, parebo nihilominus? Minime gentium. Quandoquidem tu supra dixisti, neminem posse melius fungi magistratu quàm Christianū. Deinde Paulus cum stomacho quodam in eos inuehit, qui se sub iniustis iudicibus iudicari patiuntur. Postremo apostoli ipsi nolebant iussis impij magistratus obtemperare, dicentes: Oportet deo plus obedire quàm hominibus. IOIADA. Collationem feci inter magistratum piū et impiū, ubi sic dixi: Nemo melius et sanctius magistratū administrare potest quàm pius: interim tamen non dixi, magistratum impiū et tyrannicum non esse magistratum. Prætuli imperium quod Christianus gerit, imperio quod gerit impius: ultimū tamen hoc non damnavi, quasi imperiū non esset aut quasi nō esset ei parendum. Nunq̄ respública melius habuerunt q̄ dum piij regnarunt. Hoc in Ezechia cæterisq; sanctis regibus uidere licet. Huc etiam spectat Paulus, quum iubet ut Corinthij ex sanctis, hoc est, fidelibus eligant & constituent iudices. Apostoli recte fecerunt quod in quibusdam rebus, impijs senatus edictis ac iussis adquiescere noluerunt. De obedientia ergo quum quæris, sic accipe, Quum sic dicis:

Quatenus
obediendum
impijs ma-
gistratibus.

Obediam ne impio magistratui? Obediã ne impijs præceptis? eius non idem in utraq; quæris. Ad primam enim interrogationem responderem, parendum est: ad secundam, minime parendum est. Magistratus (quod supra dictum est) imperium habet non in animos, sed in corpora et res externas, & quidquid ad externam conuersationem hominum pertinet. Si iam præcipit quid contra deum, contra conscientiam, aut animi salutem, deo plus est parendũ quàm impijs iussis tyranni. Iam ualet quod apostoli pro se dicunt: Oportet deo plus obedire quàm hominibus. Si uero id duntaxat præcipit quod ad res externas aut ad corpus tuũ pertinet, & quod à te sine iactura ueritatis & iustitiæ, sine periculo salutis præstari potest (Vtuncq; corpori tuo & rebus damnosum, utcunq; tibi indignum uideatur) parendum tibi erit. Obedientiam ergo ei debemus: et rursus obedientiã non debemus. SIMON,

Iam alia oritur quæstio: Si nullam in animum habet iurisdictionem magistratus publicus, quur ergo hodie tantã sibi potestatem in rebus fidei sumit Christianus magistratus? IOIADA. Hoc agit non ut magistratus sed ut Christianus magistratus, nec facit hoc sine præcepto & exemplo. In Deuteronomio præcipitur regi, ut penes se habeat librum legis diuinæ, eumq; sedulo legat, qui & Iosue duci datur à Moise. Inspectemus exemplũ Iosaphat, Ioiadæ, Iosia, Ezechie

Deo plus est pa-
rendũ quàm impijs
iussis tyranni.
legi talis para-
graphus in
penitebit

Deut. 31.

Rex penes se
habeat librum
legis diuinæ